

Tu me in scientiis Physicis pro veritate scribentem adversus plures invidos meam famam suis scriptis turpiter discerpere conantes protexisti. Tu hoc opus Astrologiae Scientiarum altissimae ad honorem tuae infinitae sapientiae, quae caelum terramque creavit, omniaque fecit in pondere, numero, mensura & ordine, studio laboreque per triginta annos indefesso absolvere mihi dedisti, mentemque meam ad te perpetuo attendere voluisti, ne quid contra supercaelestem tuam doctrinam, veramque Religionem scriberem, sed eas in exemplar inviolabile mihi proponerem.

Nunquid ergo post supradicta haerere debeo, in ipso opere tibi primum dedicando? absit, quamvis ego & ipsum opus nihil simus in conspectu tuo, tu enim sinceram non respicis voluntatem, nec cor contritum & humiliatum despicias, atque idcirco coram Celsissima Tua Majestate in terram procumbens, hoc praecipuum opus studiorum meorum tibi Filio Dei ac Regi Regum dedico & confecro, Tibi tuoque Spiritui Sancto saepe nec frustra in occurrentibus difficultatibus a me invocato, immortales gratias agens pro veritatibus in illo contentis, ac humillime deprecans, ut si quid falsi in illo reperiatur, circa hoc Lectorem illuminare digneris, ut ipsum detegat & corrigat. Homo enim sum errori obnoxius, utcumque ex natali constitutione veritatis indagator studiosus, & falsitatis osor, maloque justè redargui, quam fallere, vel erroris causa esse, cum etiam errando veritatem quaesierim.

Cedat igitur ipsum opus in tuae Sapientiae & Providentiae mirabilis honorem, nec non proximi utilitatem: mihi verò concedat tua Clementia, ut hujus miserrimae vitae cursu peracto, animaque ab omnibus fordibus expurgata, tandem astra hic eminens a me observata, cominus intueri, ineffabilem Majestatem Tuam contemplari, & coram ipsa adorationibus, laudibus, gratiarum actionibus & amore in aeternum liquefcere valeam. Hoc ex toto corde totaque mente precatur, & hoc opus opus resignat tuo beneplacito cum Ecclesiae tuae censura,

Tuae Super-excelsae Majestatis

Vilissimus & abjectissimus servulus & creatura

JOANNES BAPTISTA MORINUS.

LUDOVICAE MARIÆ

Dei gratia.

REGINAE POLONIAE, SUECIAE, &c.

Magnae Duci Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Czernihoviae, Livoniae, Smolensko, &c. natae Principi Mantuae, Montisferrati, Niverniae, &c. Duci Opoliae & Ratiboriae.



Astrologiam Gallicam tuo jure vindicare potes. REGINA SERENISSIMA, tua est enim, quae Authori animum, ne tanto operi deesset; subsidium, ut illud in publicum proferret, regali cura, regali munificentia addidisti; Tuum, inquam, quod Majestati tuae sacris ultimae voluntatis oraculis ab Authore dicata est. Quid tot virtutis tuae ornamenta commorem? quid impensum Majestatis tuae erga bonas artes studium, quae alio euntem revocare debuissent, si Authoris mens, si tuum ultro oblatum operi patrocinium, & opus, & me operi evulgando incumbentem, Majestati tuae non addidisset? Abeat ergo Astrologia Gallica sua sorte beata, nec invidia dentes pertimescat, quae eo loco praesidium invenit, qui supra invidiam est. Est profecto, REGINA, non enim Imperii tui limitibus praesidium constringere quero, sed immense tuae Virtutis metis; Imperium invidos habuit, virtus cultores, Imperium sub infidis subditis aliquando penè succubuit, virtus etiam hostes fidos esse coegit. Imperium fortunam expertum est, virtus supra fortunam fuit, imo fortuna tandem etiam Virtutem adoravit. & dum Virtuti quod debuit, reddidit, reddidit & imperio. Absit, REGINA, ut dum tantas Majestatis tuae dotes commendo, dum Virtuti tuae Imperii saltem vindico, REGI SERENISSIMO injurias sim, cujus fortitudini Polonia libertatem suam acceptam refert. Verum enim verò cur non quod REGI, hoc & REGINAE, quibus eadem mens, eadem animi constantia & eadem Virtus? Ergo in te etiam REGEM fortissimum suspicio, ut & in REGE magnanimo fortissimam REGINAM: Quidni? quibus idem & favens caelum non dissimiles mores, uti & non dissimilem sortem sponsondit. Vidit multis retro annis clarissimus MORINUS, & cum tot tantorumque Principum votum, sola sine voto fores, caelum tibi regnum adsignasse palam pronuntiavit. Faxit Deus ut quod victricibus Magni armis felicissimo suo aspectu pollicetur, cito eveniat, quod pietati tuae, quod Virtuti, tarde, sicque diu bono Reipublicae Christianae vivas, aeternum orbi Christiano victura.

Majestati Tuae

Additissimus

**

G. T. D. G. V.